



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Consensus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

Neque vero tantum porrectis in cœlum manibus adoratio fieri solita, sed & ad versa manus ad osculum exposita, adorationis indicium est. Hinc illud apud Plinium, quandam esse in dextera religionem, quæ osculis averfa appetitur. *Qui adorant, inquit Hieronymus in Rufinum, solent manibus deosculari.* Unde Hæbrei deoscultationem pro Veneratione usurpant; ejusmodique loquendi forma per totam jam Italiam, ex quo Hispanos in dominationem admisimus, inolevit, cum prius id honoris non nisi in Pontificibus deberetur. Et nonnulli Catuli somnium de Augusto referunt, quasi Jupiter compluribus prætextatis tutorem à se poscentibus, unum ex eis demonstrasset, ad quem omnia desideria sua referrent, ejusque osculum delibatum digitis ad os suum retulisset. Alioqui, ut in Cynophalo dictum, sublata in cœlum manus adorationis indicium sunt. Apud Ciceronem Quæstionibus Academicis admirationis id signum est, ut dicitur: *Hortensius autem vehementer admirans, quod quidem perpetuo Lucullo loquente fecerat, ut etiam manus saepe tolleret: nec mirum, nam nunquam arbitrari contra Academiam dictum esse subtilius.* Pervulgatum vero est Catullianum illud in hanc sententiam: *Admirans, ait, hæc manus que tollens, Dii boni & quæ sequuntur.*

Deosculatio pro Veneratione, sicut ab Hispania vulgo introducta. Sueton. in Aug. c. 91.

SENSUS. CAP. XXIII.

In militaribus vero allocutionibus sublata manus, consensus & approbationis hieroglyphicum est. Unde totiens apud Xenophontem, si quod propositum esset, scitum facere se profiterentur, manus tollere jubebantur. Sedenim, hoc ritu Hæbræorum prius institutum fuit, quod plerisque locis habetur, & Aaron Levitico, tollens manum, populo bene præcatus est. Ita nobis quoque faciendum imperavit Paulus: *Orate, inquit, in omni loco extollentes puras manus.* Et Tertullianus, ubi de oratione pro salute Imperatoris agit: *Illuc suspiciens (ait) Christiani, manibus expansis, quia innocua: capite nudo, quia non erubescimus: denique sine monitore, quia de pectore oramus, & quæ sequuntur in hanc sententiam.*

Sublata manus, quid.

FOEDUS. CAP. XXIV.

Sed neque Pythagoricum illud prætereundum, *μὴ πειντὶ ἐμὲ ἀλλ' εἰν δεξιᾷ, non unicuique dexteram porrigendam, quippe non temere esse quæmpiam in amicitia familiaritatis; foedus admittendum.* Citat hoc symbolum in hanc sententiam Plutarchus eo commentario, quod de multorum amicitia conscripsit, & Solonis dictum illud in primis fertur, *Φίλους μὴ ταχὺ κτῆ, ἔς δ' ἂν κερήσαι, μὴ δεξιὰν ἔλας, Amicos, ne cito compares; quos autem acquisieris, ne rejicias, contemnas.* Mox vero adhuc est notis prætulibus, in admittendis in clientelam amicis manum porrigere exosculandum, quod firmum quasi foederis & conciliationis signum habetur. Observes etiam apud Ammianum, rerum gestarum libro supra xx. Nebridium, qui contra Constantium unus omnium jurare noluerat, metu militum, qui ferrum in hominem strinxerant, ad Julianum profugisse, suppliciterque orasse, ut timoris levandi causa ei dexteram porrigeret Julianus: *Ecquid, ait, præcipuum amicis servabitur, si tu dexteram attingis meam?* Plutarchus in Catone Uticensi morem tangit osculandi manus Imperatoris apud Romanos, neque id quidem omnibus, sed paucis admodum honoris gratia concessum. Unde etiam in Divinis literis legitur: *Tua dextera me suscepit, quod ita interpretantur Theologi: Mos eorum est, qui operi alicui sint allaturi, dexteram porrigere, in qua Suis, Captivudo, agilitasque magis promptuaria, quam in leva.* Et Psal. LXXIII. *Tenuisti manum dexteram meam: i.e. optimi Assertoris instar manum meam apprehendisti, meque de cetero servavisti Babylonica eduxisti.* Alii sic exponunt, ut per texteram manum à Deo tentam, meliora ac laudabiliora opera intelligantur, quæ benigno Deus animo susceperit. In sacrificiis demum manuum impositio nunc benedictorum ministrabat, nunc peccatorum remissionem, nunc sancti Spiritus adventum, nunc expiationes, quas solo percipimus intellectu, ait Hesychius.

Manuum impositio, nus effectus.

FIDES. CAP. XXV.

Quia vero fides in foederibus primum expetitur, Numa Romanorum Rex constituit, ut manus quæ fidei sacra facerent, ad digitos usque involverentur, quod fidei tutandæ indicium esset, cujus præcipue sedem in dextera esse docuit: vel, ut arcana in abdito habeantur. Porro fidem in manibus Arabes adeo colebant, ut foedus nunquam facerent, nisi sanguine ex vola juxta majores digitos eorum,